

possit licite assumi ad consecrationem. In casu vero necessitatis potest exprimi botrus in calice, et consecrari in musto, ut constat ex decretali Julii papæ in capite Cum omne crimen, de consecratione dist. II, ubi inquit: « Quod de expresso botro (id est, de uvarum granis) populus communicatur, valde est omnino confusum; sed si necesse sit, botrus in calice comprimat et aqua misceatur. » Ubi pontifex, sicut prohibet ut in musto recenter ex botris expresso consecratur, ita concedit ut in necessitate fiat. Necessitas sufficiens erit, verbi gratia, pro communicando infirmo, vel in die festo ne populus maneat sine sacrificio, si aliud vinum reperiri non potest. Neque est simile de massa cruda, et de musto, quia massa cruda non est panis, sed indiget decoctione; mustum autem substantialiter est vinum, et in forma potabili, licet nondum sit omnibus suis accidentibus perfectum. Et de vino congelato est majus dubium, et diversitas opinionum inter auctores, an possit consecrari non solum licite, sed etiam valide.

XVIII. Dico ultimo: Si vinum non totaliter sit congelatum, et quasi crusta redditum, sed solum in aliqua superficie congeletur, est materia sacramenti; si tamen sit totaliter congelatum, et in duritiam versum, etiamsi possit calefactione liquefieri, probabilis est utraque sententia, quod possit vel non possit consecrari; probabilius tamen est quod communiter non sit consecrabile, sed sit materia dubia. Prima pars probatur, quia vinum illud ex tam parva congelatione neque amittit substantiam vini, neque formam potabilem; et facit eodem effectus quando sumitur, atque vinum non congelatum; ergo non est cur excludatur a materia sacramenti. Secunda vero pars pro-

batur, nam pro parte affirmativa, quod sit materia sacramenti, auctoritas plurium doctorum cum Sylvestro, Soto, Angelo, Vazquez, Suarez, et aliis habet fundamentum satis probabile, quia non amittit substantiam vini, si quidem facta resolutione iterum sumi potest tamquam vinum.

XIX. Nec obstat, quod quamdiu est congelatum, non sit in forma potabili; radicaliter enim et virtualiter manet potabile, quia sola resolutione facta potabile manet; non oportet autem quod quando consecratur sit in forma potabili actu et formaliter; sufficit quando sumitur: quod facile contingere potest si post consecrationem calore resolvatur. Nec est simile de liquore contento intra uvas, qui etiam facile exprimi potest; nam ibi substantialiter est diversum, cum ex ipsa natura sit factum modo comestibili in uvis; quando autem congelatur, solum accidentaliter amittit formam potabilem ex frigore constringente. Adde quod si vinum jam consecratum congeletur, non desinit ibi esse sanguis Christi; ergo per congelationem non corrumpitur substantia vini; si enim corrumperetur, non posset ibi manere sanguis facta tali corruptione; ergo si super illud sic congelatum cadat consecratio, sacramentum fiet, quia sufficit ad consecrandum, quod habeat substantiam vini, et non sit totaliter corrupta. Antecedens vero probatur ex capite In sacramento, de consecratione dist. II, ubi dicitur: « Quod si vinum consecratum congeletur, debet liquefieri, et sumi cum reverentia, tamquam sanguis Christi; » et a simili patet in pane, qui licet durissimus reddatur, potest tamen consecrari; ergo etiam vinum licet congeletur, et durescat.

XX. Pro parte vero negativa sunt

etiam plures auctores, Ledesima, Armilla, Alanus, Nugno, et alii, habetque fundamentum, quia vinum sic congelatum amittit speciem vini, non quia vertatur in lapidem, sicut aqua nimis congelata dicitur verti in crystallum (hoc enim ex vino fieri non posse putat Vazquez) et fortasse ita est: nec nos loquimur in tali casu, sed quando vinum totaliter est congelatum, potest tamen liquefieri per calorem, et reduci in formam potabilem, quod non potest fieri si converteretur in lapidem. Quod vero vinum sic congelatum mutet speciem, ex eo suadet, quia tam intensum frigus convertit fortitudinem vini; unde quando postea liquefit, invenitur omnino sine vigore et fortitudine, quasi aqua; ergo signum est quod amittit speciem, quia substantia vini maxime dignoscitur ex fortitudine et acrimonia, magis quam ex colore et sapore. Verum quidem est, quod si vinum sit valde forte, et gelu non sit valde intensum, aut multo tempore durans, non tam facile solvitur species vini, quia post resolutionem adhuc retinet vini saporem et acrimoniam, licet diminutam; unde fit quod facta congelatione totali non poterit consecrari propter dubietatem materiæ, de qua non potest quis certificari quousque liquefiat, et tunc constet an substantia vini fuerit corrupta, vel non. Et practice existimo nunquam esse dabilem casum, quo possit aliquis tali materia uti; nam vel instat necessitas consecrandi, vel non; si instat, debet illud vinum prius liquefieri, et tunc ex ipsa experientia dignoscitur an fuerit corruptum, vel non; si enim consecratur, necessario debet sumi a sacerdote, et non potest sumi per modum potus nisi liquefiat; ergo ante consecrationem etiam potest liquefieri, et paululum expectare donec

resolvatur: si vero non instat necessitas, non debet aliquis uti tali materia, quæ ad minus est dubia, et de certo valde indecens, cum non sit potabile.

XXI. Opposita fundamenta facile diluuntur. Ad primum respondetur, quod licet illud vinum maneat in forma potabili virtualiter, tamen non manet sub specie vini nisi dubitanter; et ita expectandum est quod resolvatur, ut constet quam speciem retineat, et ut possit sumi a sacerdote per modum potus. Ad secundum respondetur, non manere sanguinem Christi in vino totaliter congelato, quia solvitur illius species. Quod vero dicitur in illo textu, in primis illum non invenio in tota illa secunda distinctione, neque auctores oppositi etiam illum; tamen facilis est responsio, quod post congelationem dubium manet an totaliter corrumpantur species vini vel non, juxta diversas opiniones, et ideo debet sumi cum reverentia: et ob eandem rationem non debet consecrari in tali materia, quia valde dubia est. Ad id vero quod dicitur de pane indurato, differentia est manifesta, quia ille panis si comedatur nutrit, et sustentat sicut panis, et sic habet eandem substantiam, licet accidentaliter variatam; vinum vero per congelationem ita fortem nimis alteratur, et perdit fortitudinem suam, nec potest ita confortare; et sic amittit speciem, neque est consecrabile.

ARTICULUS III.

Utrum aqua infusa vino convertatur immediate in sanguinem Christi, antequam convertatur in vinum?

I. Suppono primo, aquam misceri vino non de necessitate materiæ

consecrandæ, sed de necessitate præcepti. Et certum est præceptum esse ecclesiasticum, non divinum; licet consuetudo ista per traditionem Ecclesiæ a Christo derivetur, quia ita creditur fecisse. Constat hoc, quia materia sacramenti sufficienter salvatur in solo vino, quia Christus Dominus solum illud designavit in calice, dum dixit Matth. xxvi: *Non bibam amodo de hoc genere vitis*. Et Concilium Florentinum in decreto pro Armenis declarans materiam calicis solum dixit: « Quod est vinum de vite; cui, inquit Concilium, aqua ante consecrationem misceri debet: » quo genere loquendi significat, materiam solum esse vinum de vite; mixtionem autem illam pertinere ad conditionem, non ad materiam sacramenti; quod etiam ostenditur ex praxi et consuetudine Ecclesiæ, quæ modicam aquam adhibet, ita ut prius sit conversa in vinum, quam consecretur: ergo signum est solum vinum esse materiam, quia quando consecratur, jam non est aqua, sed solum vinum: ergo quando infunditur calice, non infunditur pro materia, sed propter aliquam significationem.

II. Quod vero sit de necessitate præcepti misceri aquam vino, constat ex Concilio Tridentino sess. xxii, cap. vii, ubi dicitur: « Monet etiam sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam, quia de latere ejus aqua simul cum sanguine exivit. » Et citatur ibi Concilium tertium Carthaginense cap. xxiv, et Bracharense iii, cap. i, et Cyprianus lib. ii, epist. iii, alias epist. lxxiii: et videri possunt alii textus de consecratione dist. ii. Et aliqui existimant hoc præceptum

esse de jure divino: id enim insinuant verba Cypriani dicentis: « Contra divinum mandatum et institutionem fieri, si aqua vino non misceatur, » et addit: « Non posse consecrari aquam solam, neque vinum solum, sed utrumque permixtum: » quod intelligitur de necessitate præcepti: subdit enim: « Eis qui sine mixtione aquæ interdum confecerunt, posse veniam concedi: non tamen dicit fuisse irritum sacramentum: magis tamen significat Concilium Tridentinum loco citato hoc præceptum esse ecclesiasticum, dum inquit: « Præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, etc. » præceptum autem ab Ecclesia aperte significat præceptum ecclesiasticum, ut distinguitur a divino: neque enim potest dici esse præceptum ab Ecclesia, simulque a Christo Domino, alias enim posset dici, præceptum consecrandi in vino, et in pane esse ab Ecclesia, simul tamen a Christo: qui tamen modus loquendi communiter non admittitur, quia quæ sunt de jure divino, condistinguuntur contra præcepta quæ sunt ab Ecclesia. Quare cum dicitur aliquando a patribus et Conciliis, hoc esse divinum mandatum, non intelligitur de mandato stricte et rigorese divino, sed late, prout omne factum Christi mandatum dici potest, quia ab illo tamquam ab exemplari dimanat in nos, et Ecclesia postea stricte præcipit; quia tamen res gravissima est, et sic semper in Ecclesia reputata, sine dubio erit peccatum mortale illam advertenter omittere, quia licet quantitas aquæ sit valde modica, tamen mysterium et significatio magna est, quia significat unionem populi christiani cum ipso Christo.

III. Secundo certum est, aquam vino miscendam debere esse in multo minore quantitate quam vinum.

Et licet in Concilio Triburiensi cap. xix dicatur: « Quod duæ partes sint vini, tertia aquæ, quia major est majestas sanguinis Christi, » tamen postea in Concilio Florentini de decreto pro Armenis multo minor quantitas designatur. Dicitur enim materiam calicis esse vinum de vite: « Cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet. » Unde quanto minus de aqua miscetur, tanto melius sit, et conformius mandato Ecclesiæ, quia ly modicissima significat id quod minimum esse potest in parvitate, dum tamen gutta illa aquæ sit sensibilis, quia videri debet, ut constet, quod sit infusa. Quod si aliquando aliquid plus de aqua infundatur, oportet tamen advertere quod non sit tanta quantitas, quod possit vinum corrumpere, vel dubium relinquere an sit corruptum, quia consecrare in materia dubia, peccatum mortale est.

IV. Difficultas ergo est, quomodo aqua mixta vino possit converti in sanguinem Christi, scilicet, an requiratur quod prius mutetur in vinum, et tunc per consecrationem transubstantietur; an vero sufficiat aquam esse infusam, et conjunctam vino, etiamsi in vinum non convertatur, ut mutetur in sanguinem. Est enim advertendum duplicem esse mixtionem, unam perfectam et per conversionem unius in aliud, secundum quod diffinitur mixtio in libris de generatione, quod est miscibilium alteratorum unio, id est, corruptorum: alia est mixtio imperfecta, et per solam juxtapositionem unius cum alio; ita tamen quod unum non transit in speciem alterius, vel alicujus tertii; sicut cum oleum miscetur aceto, vel alteri liquori, nec tamen convertitur in illud. Est ergo difficultas, an aqua solum imperfecte admixta, et non conversa in vinum transeat in sanguinem Christi, so-

lum per hoc, quod sit conjuncta, et juxtaposita vino, licet in se aqua sit. In quo plures sententiæ fuerunt inter antiquos, et modo versantur inter recentiores, quæ distinguendæ a nobis sunt, ut melius discerni possit, quid proprie unaquæque opinio affirmet.

V. Primo ergo aliqui ex antiquis dixerunt absolute et indistincte, aquam vino mixtam non converti in sanguinem Christi, non distinguendo de mixtione perfecta vel imperfecta; atque adeo videtur significare hæc opinio, quod etiamsi aqua taliter misceatur vino, quod fiat mixtio perfecta, et transitus ejus in unum, adhuc non convertitur in sanguinem; quam opinionem late refert et refutat cardinalis Baronius tom. xii annalium, anno Christi 1488, num. xxvii, ubi refert tunc primum quæstionem istam ortam esse in Gallia, et de illa Gaudredus de Claravallensi consuluit cardinalem episcopum Albanensem super ista controversia: aliqui enim dicebant vinum mixtum aquæ converti in sanguinem Christi, sicut panis mixtus ex farina aqua convertitur in corpus Christi; ubi satis manifestabant se loqui etiam de mixtione perfecta, sicut perfecte miscetur farina et aqua quando sit panis: alii vero dicebant aquam vino mixtam non converti in sanguinem, quod nulla sit mentio apud auctores aquæ pro conversione sanguinis, sed solum vini; et Baronius ibi affirmat, hoc semper custodisse Romanam Ecclesiam, ut aquam simul et vinum transubstantiari in sanguinem Christi affirmaret. Et infra anno 1292, in fine dicit, quod conversionem sanguinis fieri in vino, cum commixtio intercederet, antiquitas existimavit. Et sic vocat hæresim illo sæculo obortam, negantium aquam vino mixtam mutari in sanguinem: ubi plane loquitur de

aqua perfecte mixta, et jam conversa in vinum; nam manente aqua non conversa, licet juxta vinum posita, non potest esse hæresis negare quod convertatur in sanguinem, cum sit hodie communior et certior sententia.

VI. Secundo loco alii existimantes aquam vino mixtam non converti in ipsum (est enim aliquorum naturalium opinio, non facile converti istas species, nec unum in aliud transire, nisi multo tempore intercedente) sed manere in sua substantia aquæ, quando infunditur vino, divisi sunt, in duas sententias, quæ refert Innocentius in capite Cum Marthæ, de celebratione missarum, easque reprobat, et tertiam quam postea referemus approbat ut probabilior. Prima sententia dicebat, illam aquam infusam vino non converti in sanguinem Christi, sed in quamdam humorem aqueum, seu phlegma, quia putabant talem fuisse aquam quæ exivit de latere Christi; et dicebant vinum converti in sanguinem, aquam vero in illum humorem. Alia vero sententia dicebat, aquam neque in sanguinem, neque in humorem converti, sed manere in propria substantia, et solum vinum converti in sanguinem Christi. Manere autem substantiam aquæ, et non transire in vinum sentit hæc opinio, eo quod vinum non semper habet efficaciam convertendi aquam, vel quia quantitas aquæ est nimia, vel quia parva temporis mora intercedit inter mixtionem et consecrationem.

VII. Utramque sententiam rejicit pontifex. Primam quidem, quia id quod fluxit e latere Christi fuit vera aqua, non phlegma, vel humor, cum dicat Scriptura: *Quod exivit sanguis et aqua*, Joan. xix. Vera autem aqua elementalis non ingreditur compositionem corporis humani, sed aqua illa per miraculum fluxit de corpore

Christi, et ita modo non est in corpore ejus glorioso: ergo non potest converti in illam aqua infusa calici, quia neque ex vi verborum convertitur cum nullum verbum formæ consecrationis significet aquam, vel humorem aqueum, neque per concomitantiam, cum non contineatur aqua vera in corpore Christi. Secunda vero sententia relinquitur ab Innocentio ut minus probabilis. Et S. Thomas in præsentis articulo octavo illam rejicit, quia facta consecratione, nulla substantia ibi remanet, quæ non convertatur in Christum, quia illud verbum hoc, et hic est calix, comprehendunt quidquid sub illis speciebus continetur, quia secundum modum communem loquendi facit sensum indefinitum, et adæquate comprehendentem quidquid ibi continetur: ergo inconveniens est, quod per se loquendo relinquantur ibi aliqua substantia non consecrata; et est contra praxim et usum Ecclesiæ, quæ post consecrationem calicis totum illud proponit populo adorandum; quod esset inconveniens si remaneret ibi aliqua substantia aquæ, vel vini non conversa in sanguinem Christi. Et similiter Ecclesia reputat jejunum sacerdotem sumentem calicem, ita ut possit aliam missam celebrare si ablutionem non sumat, ut fit in die nativitatis: ergo sentit non manere ibi substantiam aquæ; hæc enim solveret jejunium naturale, sicut solvit aqua sumpta pro ablutione.

VIII. Tertio, alii existimantes fieri posse veram et perfectam conversionem aquæ in vinum, licet aliquando vel propter brevitate temporis, vel propter tenuitatem vini fieri non possit nisi imperfecta mixtio, etiam divisi sunt in duas sententias. Quidam existimant debere prius aquam converti in vinum, et sic transire in sanguinem Christi; si autem non convertatur in vinum, non transsub-

stantiari, sed manere in sua substantia; sicut manet gutta olei, vel alterius liquoris, si esset in calice. Alii dicunt aquam conjunctam vino, etiamsi non sit conversa in illud, sed maneat in propria substantia, converti in sanguinem Christi, solum quia conjuncta est vino per modum unius potus integri, licet non omnes partes sint vinum. Prior sententia est communis omnium doctorum, eamque probabilior esse dicit Innocentius III in capite Cum Marthæ citato quantum ad illam partem, quod aqua prius transit in vinum, et deinde in sanguinem Christi. Sequitur S. Thomas hic art. viii, Alensis, Bonaventura, Scotus, Richardus, Major, Soto, Suarez, Vazquez, Nugno, et alii communiter. Et catechismus Pii V dicit esse sententiam omnium ecclesiasticorum scriptorum. Secundam sententiam aliqui recentiores nostra ætate sequuntur, et pro ea citantur Alanus lib. i de eucharistia, cap. xiii; Toletus lib. ii summæ, cap. xxv; Coninchus de sacramento eucharistiæ, quæst. xxiv, art. ix, dubio unico; Paulus Aretius peculiari libro de hac re edito; Scortia de sacrificio missæ, et alii. Voluntque aliqui roborare hanc sententiam ex auctoritatibus sanctorum, qui asserunt vinum aqua mixtum consecrari in sanguinem; et a Gaufrido epistola supradicta citantur, qui tamen non in hoc sensu locuti sunt, sed supponunt dictam mixtionem perfecte fieri, et cum conversione unius in aliud, nempe aquæ in vinum; et sic adducuntur a Gaufrido contra illos qui negabant aquam mixtam vino, etiamsi perfecte esset mixta, non converti in sanguinem Christi; quasi ex sola illa mixtione redderetur inhabilis ad consecrationem, ut ex ipsis verbis epistolæ citatæ supra collegimus; et contra hoc procedunt auctoritates illæ.

IX. Dicendum ergo est, aquam non reddi materiam consecrationis, neque converti immediate in sanguinem Christi, nisi prius fuerit conversa in vinum; et sic requiritur mixtio perfecta. Quod si aqua maneat in sua substantia conjuncta vino, solum vinum convertitur in sanguinem, et manent deinde species conjunctæ illi aquæ, et in eam possunt agere, eamque alterare, et corrumpere eodem prorsus modo sicut antea; et sicut possunt agere circa alias res. Hæc sententia pluribus solet fundamentis confirmari, sed præcipua reducuntur ad tria. Primo, quia conformior est auctoritati et praxi Ecclesiæ: secundo, quia aqua quamdiu manet in sua substantia, non fit materia consecrationis per extrinsecam conjunctionem cum vino: tertio, ab inconvenientibus, quæ altera sententia devorat, et valde absurda sunt.

X. Primum fundamentum declaratur sic, quia Concilia, quando faciunt mentionem conversionis in corpus et sanguinem Christi, solum nominant panem et vinum pro materia talis conversionis, ut patet in capite Firmiter, de summa Trinitate, ex Concilio Lateranensi, et in Concilio Florentino in decreto pro Armenis. Et quod non possit intelligi nomine vini etiam illa aqua, quæ conjuncta est vino, nisi in unum conversa sit, deducitur ex eo quod Ecclesia, sicut assignat pro materia conversionis vinum, ita declarat et præcipit quod modicissima aqua ante consecrationem infundatur; quæ verba sine dubio pro aliquo speciali fine ab Ecclesia apposita sunt; nec aliud intelligi potest, nisi quia voluit Ecclesia in tali quantitate misceri, quod facile posset converti in vinum, et sic in sanguinem. Si autem posset aqua, antequam converteretur in vinum, converti in sanguinem, ad quid servit tanta cu-